...rianus

...zeszynski ... Blasii Syncharma labore, vir... et meritis partum.

S

VI

D.
C
C

D.
S
C

Qu

M.

40.

SYNCHARMA
LABORE,
VIRTVTE, ET MERITIS PARTVM;

QVOD

Clarissimo, & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. NICOLAO SVLIKOWSKI,
Collegæ Maiori, S. Th. Doct: & Professori, Ecclesiæ Colleg: S. FLORIANI Canonico, Contubernij Sisiniani Prouisori.

Dum sub auspicato Nomine, & Omine

MAGNIFICI, PERILLVSTRIS, ET ADMODVM REVERENDI DOMINI,

D. ANDREÆ KVCHARSKI,
S. Th. Doct: & Professoris, Ecclesiæ Cathedr: Crac: Canonici, Colleg: Ecclesiæ SS. OMNIVM Præpositi, Contubernij Hierosolymitani Prouisoris,
ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS
GENERALIS RECTORIS.

pro loco
Inter S. Th. Doctores in Celeberrima Vniuersitate Crac:
obtinendo,
Quæstionem grauissimam, & difficillimam, *de Voluntate Diuina*, in Almo D. IAGELLONIS Archiatheneo, atq; Amplissimi Senatûs Academici frequentiâ publicæ velitationi proponeret.

M. BLASIVS DROPCZYNSKI, *Philosophiæ Doctor, & Professor, Contubernij Sisiniani Senior*

Honoris & gratulationis ergô, vti Patrono Colendissimo,
EXHIBVIT.

Anno Verbi Incarnati M. DC. LXIV. 5. Cal. Aprilis.

CRACOVIÆ, Apud Hæredes Stanislai Bertutowic.

O D E
TRICOLOS TETRAST:

QVò tendis vltra Pieridum iuga,
Collesq; Pindi, fons vbi Pegasi
Per arva crescentes perenni,
Amne rigat refluens corymbos.
Pridem receptus Thespiadum choro,
Desiste versari in penetralibus
Musæ Pelasgæ; diceris cum
Laude priùs retulisse palmam.
Quò tendis vltrà? clariùs emicat
Per Te refulgens Tullius aureo
Sermone, posthumis sepultum
Quem calamo reuocas ab vmbris.
Natura doctum, quidquid & abditum
Celat, profundo fonte Sophisticum,
Tu peruagatus eruditâ
Arte doces, penetrasq; dogma.
Quò tendis vltra? tendis in Exedras,
Te Concionum pulpita iudicant
Paulum docentem verba CHRISTI
Ambrosiæ similemq; Suadæ.
Obliuiosis Te ne ego seculis
Virum relinquam? quem stupuit Cracus,
Quem rostra dilexêre Sacra
Fulmine veridico tonantem.
Dum Tu furorem Martis, & impiè
Collata bellis bella ferocibus
Armis Suecorum, Pannonumq;
Tela, aciemq; minùs timebas.
Quod cordi, & ori præbuit impetus
Ardoris æqui: quod placuit DEO
Non clam, palam, sed affluente
Auxilio Superûm repletus
Edixeras. Te Calûus, & Hussius,
Hydræq; sectarum indomitum pecus
Lutheri, inaudiuêre docto
Ore loqui, atq; fidem tueri.
Testantur Almæ VIRGINIS atria
Concessa, Suadæ per Cathedras Tuæ,
Zeloq; feruenti sacrata,
Qui populis daret ore verba.
Æterna cultum, quem teneat TRIAS,
Latè sonando, Zwinglius, impio
Blasphemus Arrianus ausu
Dum crepitant: facili retundis

Vmbo.

Vmbone ſacri dogmatis, & mali
Fictos reuelas pectoris ambitus,
Cogiſq; Titanas ſceleſtos
Ad Stygias remeare ſedes.
Tu facta Diuûm, claraq; paginæ,
Exempla ſacræ diſcutiens benè
Ad ritè viuendum rebelles
Dulciſono monitu trahebas.
Et dum locutus vera, nihil mali
In Te repertum Wirtzius approbans
Indulſit altiore niſu,
Vſibus inuigilare Sacris.
Id gratiarum nactus ab hoſtibus
Voto fauenti, non ſine gloriâ
Plebiq́ue, mox Senatuiq;
Ad decus & celebris Lycei
Ornamen; amplis dignus honoribus,
Et laude ſummâ nominis inclyti
Reſplenduiſti; nec procellis
Magnanimum potuit moueri
Pectus trecentis. Namq́ue per aſpera
Iniurioſi temporis iueras
Victor tot emenſus Charybdes,
Totq; vices ſuperans malorum.
Quò tendis vltra? Colchidos aureo
Geſtis potiri vellere? non opus.
Cui namq; lauru frontem Aquinas
Doctor honorificâ reuinxit.
In alta fas eſt, dirigat ingenî,
Doteſq́ue, mentemq́ue, imaq; negligat;
Indigna res eſt eruditos,
Improprias habitare ſedes.
Et tendis vltrò? ſat Tibi ſat ſemel
Vidiſſe Romam, nobile gentium
Sidus, decuſq́ue, Heramq; terræ
Emporium pietatis almæ.
Te, Te illa doctâ cinxit adoreâ
Viuas vt Orbi clarior Arctico
Felix fruaris ampliore
Pro meritis meritorum honore.
Summa attigiſti nomina Palladis,
Quæ fama ſeclis proferet aureis,
Quò tendis vltrà? celſiùs ne
Te poterit Tua ferre virtus?
Agnoſco; ſacræ Tu ſapientiæ
Culmen ſubîſti, iamq; per ardua
Scientiarum roſtra pulchris
Te radijs rutilare cerno.

Sat est honoris, fax Academiæ
Quod sis, Togatæ gemmaq; Palladis.
I, perge, quò vocaris altos
Scande gradus Craciæ Palæstræ.
Ad quam cooptat Te sacer inclyti
Ordo Senatûs, votaque publica,
Lætiq; plausus; ipse Aquinas
Quò vocat Aligerum Dynasta.
I, perge, & exornes Academiam
Victure nobis non sine laudibus,
Docture dulce dogma viue;
Viue Tuâ memorande famâ.
Et Christianæ pande scientiæ
Arcana Doctor, sic licèt occidant
Terrena: viues, & superstes
Æuigenos numerabis annos.

E P O S.

A D

Honorem Angelici Doctoris, iuxta Eccl: 15. ver: 3.

Aqua sapientiæ potabit illum.

per

A N A G R A M M A

A Q V I N A S: I N A Q V A S.

FOns populis ter mille sitim sedauit in Haran,
Gen. 29. ver. 5. Ter Rachel siccum, fecit aquare gregem.
Fons doctrina fuit, sapiens Ecclesia Rachel,
De cuius viuæ fonte bibuntur aquæ.
Potus aquæ CHRISTVS, fragiles prognatus ad auras;
Mortuus, (ex cuius morte) reuixit homo.
Angelicus Doctor genius cælestis, & altus
Fons fuit, IN similes sorte vocatus AQVAS
Aligerum munus, TRIADEM, Mysteria CHRISTI,
Hic nactus genio Gramma salubre dedit.
Sacrorum puteus scriptorum dulcis, & Author
Vitæ, de propria vite propinat aquas.